

ratione, studebunt id primum prefati Pauli Bornemissa et posel, omni studio et industria, ut dica ipsa fideliter et absque detrimento de omnium bonis administraretur; in qua re exequenda, si persone sue minus sufficerent, nec ad omnia loca procurrare soli possent, idque summa Necessitas expostularet, substituant dicatores viros, fide dignos, probos et honestos, accepto ab eis fidelitatis et recte administracionis Juramento, qui dicam ipsam sine fraude et dolo administrent, sed ita, vt quantum possibile est, coram interesse studeant. Volumus autem eam diligentiam et sollicitudinem circa hanc administracionem ab ipsis Paulis (sic) Bornemissa et Posel adhibere, ut propria in persona omnia et singula loca perlustrent, Quantitatemque uillarum siue in planicie existant, circumspeciant, et de eis explorent, colonorumque numerum intelligant, ut melius scire possint, quantum de vnaquaque illarum dandum erit dicatoribus; preterea quos quanto minime possunt sumptus conducant et interteneant sua presentia, quo diligentius dicaturam exequantur, audaciam et animi alacritatem plerumque adferant et exhibeant, hortando eos, vt pro temporis condicione, negocium eis comissum fideliter exequantur.

In qua re si impedimentum aliquod interuenerit, ad auertendum illud consilium et auxilium a Capitaneo Nostro generali et duobus Banis petant, quoties necessarium fuerit.

Item Comites et Vice-Comites auctoritate prefati Capitanei et Banorum fidei et officii admoneat sollicite, vt quisquam se circa administrationem dice nostre fideliter gerat, damnum omni diligentia euitet, nec patiatur, ut quisquam in administratione dice impedimentum vel fraudem committat quoquomodo.

Item Iudices Nobilium per eundem Capitaneum et Banos Nostros sub fide astringat, quod quisque eorum in processibus fideliter procedet; timore, fauore et lucro uel priuato commodo suo abiectis, et bona quorumcumque dicatoribus ostendet et non celabit, Idque solum prestare studebit, quod equum et iustum, quodve ad augmentum proventuum nostrorum pertinebit, denique vt omnes proventus ostendent et iuste administrabunt.

Item, ut ratio et uia connumeracionis uerius dignosci queat, lidem Iudices nobilium iustum computum de singulis colonis, quantum fieri potest, teneant, et una cum regesto dicatorum signatum et sigillo munitum ad Cameram nostram transmittant.

Item studeant ipsi Paulj precauere, ne domini uel nobiles aliquam possessionem uel uillam per se dicent uel dicare audeant, dicata etiam que fuerint earum pecuniam eisdem dominis uel alijs exigere nulla ratione permittant, sed de singulis villis et possessionibus iudices villarum, uti per dicatorem connumerabitur, pecuniam exactam per se importare, et ad manus Exactorum nostrorum dare et presentare teneantur, non ad manus dominorum suorum uel officialium, iuxta decreta regnicolarum.

Item inducendi sunt regnicole, ut combusti trium annorum res (sic), in ualore sex florenorum habentes, dicentur, quemadmodum hoc conclusum est alias in dieta posoniensi.

Item finita connumeracione statim omnia regesta dicti Pauli reuideant et exemplum illorum accipiant, ut cognita summa ipsa, que prouenire debet, sciant se commisse solutioni conformare. Quorum etiam regestorum exemplum transcriptum ante ipsam exactionem dice transmittere ad Cameram Nostram debe-